PASSIONALE

12. Jh. Seite 182v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26261
Copyright: Admont, Benediktinerstift

duobus his conprehendit. uerbum dei scilicet audire et facere. Unde dominus supra parabolam seminis exponens ait ad eos. qui auditu tantum uerbum susceperunt. terram esse reprobam. bonam uero eos qui corde bono et optimo uerbum quod audiunt retinent et fructum afferunt in patientia. qui mater domini ihesu uocantur. et quod cotidie illud uel suo exemplo uel dicto quasi pariant in mente proximorum. Fratres quoque sunt eius cum ipsi faciunt uoluntatem patris eius qui in celis est.

Secundum Lucam

In illo tempore. Dixit dominus ihesus discipulis suis. Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam. accipere sibi regnum et reuerti.

Sermo ex commentario Bede presbiteri.

Homo nobilis ille est cui cecus clamabat. ihesu fili dauid miserere mei. et uenienti ierosolimam concinebant osanna filio dauid. benedictus qui uenit in nomine domini rex israhel. Longinqua regio ecclesia est ex gentibus. de qua eidem homini nobili qui loquitur. ego autem constitutus sum rex ab eo dicitur a patre postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terre. Que uidelicet hereditas ac possessio bifaria ratione regio longinqua uocatur. uel quia a finibus terre clamat ad dominum. uel quia longe est a peccatoribus salus. et cum deus ubique sit presens. longe tamen ab eorum sensu qui idola colunt deus uerus abest. sed qui erant longe facti sunt prope in sanguine christi. Vocatus autem decem seruis suis. dedit eis decem mnas.